

Lusus naturae Londini observatus descriptus : tabula et notis insuper illustratus / a B. de Sanctis.

Contributors

De Sanctis, Bartolomeo, 1781-1830.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : E typis Schultze et Dean, 1817.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sn5tanzn>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7

LUSUS NATURÆ

LONDINI OBSERVATUS DESCRIPTUS

Tabula et Notis

INSUPER ILLUSTRATUS

A B. DE SANCTIS M. D.

ROMANI ARCHIGYMNASII PROFESSORE PLURIUM ACADEMIARUM SOCIO

LONDINI

E TYPIS SCHULZE ET DEAN

XIII POLAND STREET

M DCCC XVII

LUSUS NATURÆ

LONDINI OBSERVATUS DESCRIBITUS

Tabula et Notis

INSUPER ILLUSTRATUS

A. B. DE SANCTIS M. D.

ROMANI ARCHIEPISCOPALIS THEOLOGICI ET HISTORICI ACADEMIÆ SOCIUS

LONDINI

E. TYPIS S. HENRI ET HER.

ANNO MDCCCLXXII

IN THEATRO

EQUITI JOSEPHO BANKSIO

REGIÆ LONDINENSIS SCIENTIARUM SOCIETATIS

PRÆSIDI

B. DE SANCTIS S. P. D.

CUM mox essem ab Academia Lugduno-Batava, Cuvier, Humboldt, Brugmans auspicantibus, naturæ studiosus observator Bataviam discessurus, a nova turbulentium Galliarum tempestate dejectum ad te, qui, Sophus, Philosophos tunc ad interiora Africæ inquirenda, ac describenda, mittebas, optime me recepisti, et nisi serò pervenissem, libenter, clarissimi Blagdenii votis annuens, electis adnumerasses. Liceat igitur mihi grates tibi persolvere jocosâ rarissimi naturæ lusûs expositione, uti observationum specimine, quas, siquando fortuna dederit abditas Orbis partes felicius percurrere, quam quos per Africam sequi cupiebam, viatorum Nestori dicandas conscribere spero. Vale.

Londini, Kal. Aug. MDCCCXVII.

LUSUS NATURÆ.

NOVISSIMIS hisce temporibus summi momenti res habita fuit in Medicina, uti et in ejus primordiis apud Græcos, accuratas morborum monographias exhibere, utpote quæ omni ævo majorem in scientiam utilitatem, quam fictitia systemata, contulerunt. Non vanam igitur spero morbos eventûs, quem mihi in biennium sese observandum, plusquam curandum, obtulit, historiam; non parum enim exinde lucis in anatomiam pathologicam, in physiologiam, in chirurgicam therapejam emanare videtur.

Duobus circiter abhinc annis, regulari prægressa graviditate, infantem partu edidit Londini, 21, Golden Square, optima Romana matrona, O. B., quæ nuper, uti et egomet, in Britanniam (1) appulerat. Duo chirurgi, quorum junior sedulam obstetriciis navabat, et navat operam, partum dirigebant; et post non breves naturæ conatus, et grave ex copiosissima uteri hæmorrhagia periculum, prolem nutricis curæ dederunt, dicentes: En feminam.

Licet parturientis maritus et amici me familiariter uterentur, et ego medicus jam ab anno 1802, Romæ regulariter institutus, et in patria, et per varias inde Europæ partes Medicinam non ignobiliter exercuissem, tamen novæ regionis legibus me rigide subjicere cupiens, amici, plusquam medici operam, et matri, et proli præbere petieram.

Hinc paulo post partum vocatus accedo. Puerperam inveni a gravissima virium jactura nondum bene restitutam; et, nonnullis consiliis illi datis, de neo-nato quæsivi.

Nutrix autem de ipso summopere erat anxia; nam ex vagina, uti illa dicebat, humorem quemdam nigro-flavescentem emittebat infans, unde vulvæ fissura fuerat penitus inquinata. Accurato examini tunc ejus naturalia loca submitto, et humorem video non ex vagina, sed ex tenuiori foramine in labiorum angulo inferiori intus posito, lentissime sursum erumpere. Physicos meconii characteres habebat humor, et erat reapse. Postea vulvam linteolo humectato prius abstersam aperui, et (monstruosum visu!) clitoris apparet decies major, duobusque punctis in apice notata. Nymphas præterea quasi oblitteratas observo, deficientes urethræ et vaginæ meatûs, et illorum vice tenue foramen, e quo erumpebat humor, inferius extare. Analogos casus per alienam experientiam jam ab Italia cognoscenti masculini sexûs non bene evoluti hæsit animo suspicio. Hinc labia pudenda contrectavi ad inquirendos, si forte descendissent, testiculos; at globulos tactu non sensi. Quid inde de sexu putandum? Temporis lapsu solummodo res clarescere poterat. At quænam humoris origo? Majoris momenti quæstio hæc mihi videbatur; infantem enim ejus solutio bene aut male poterat afficere. Et cum esset humor meconio similis, anum quæsivi, putans humorem ex ano fortasse per curvam fistulam ad imam perinæi partem descendere, et inde ad anteriorem, et superiorem illius partem iterum ascendentem, per foramen erumpere.

At non solum deerat anus, sed insuper prominula et pinguis

admodum, ubi anus esse solet, extabat cutis, foveolâ, anum quasi indicante, superius, inferiusque notatâ.

Quid inde? Existit anus naturalis necne? Descenditne meconium per fistulam curvam, uti primo iudicio putaveram, an intestino recto in tantis structuræ erroribus ad anteriorem usque, et superiorem perinæi partem monstruose producto, quod nimis in longum natura dederat, abstulerat in latum? Nova quidem, et arguta erant hæc problemata; summi porro momenti eorum solutio ad infantis salutem tutam, et securam, et tunc, et in posterum efficiendam. Quapropter senioris chirurgi domum peto, qui tunc lætissime epulabatur, et singulis, quæ ejus oculos effugerant, circumstantiis expositis, auxilium posco ad sexum melius determinandum, et ad anum vel detegendum, si naturaliter adsit, vel ampliorem efformandum, si desit. Etenim foraminulum a natura datum ani officio fungi fortasse poterat, ad meconium lente eliminandum, minime quidem ad fæces, præsertim duras, in posterum ejiciendas. Chirurgus relata quasi ridens accepit, uti et jam ridens acceperat aliâ vice meum de sanguine ex plethoricæ matris brachio mittendo consilium (quod nuperrimam uteri hæmorrhagiam probabiliter amovisset) Anglici tunc aëris, et Anglici vitæ generis differentias in medium afferens contra Italicæ, ut ipse dicebat, Medicinæ præcepta. Ego autem primâ vice tacui; experientiâ enim edoctus, videram et apud Italos, et apud Germanos, et apud Helvetios, et apud Gallos, et apud Batavos, quam vanum semper foret, et aliquando calescenti animo periculosum, de rebus medicis disceptare cum hujusce furfuris hominibus, qui stultissime putant tot existere medicas institutiones, quot, non dicam gentes, et urbes, sed quasi quasi et vici sunt, et agri, obliti profecto divinum

Hippocratem, non solum coævis Græcis, sed et longinquis populis, et posteris, sacra Medicinæ præcepta tradidisse, et unicam, quidquid sit de constantium rerum versatili denominatione, medicis extare therapejam. (2) At secunda vice non potui indignationem animi compescere, et risu contra morem sardonico sic sum negligentem observatorem allocutus: Aeris anglici temperiem, et anglicam vitæ genus, licet anglicarum ab adolescentia rerum sedulo studiosus, non audeam dicere bene novisse; at anglici corporis structuram, Lupio, Flajano, Cotugno, Mascagnio, Scarpa ducibus, pace tua dixerim, bene cognovi; et si tu jejuno stomacho non vidisti, veni quæso, et pleno stomacho fortasse videbis. Ad infantem sum cito reversus; at tam sero chirurgus apparuit, ut per noctis obscuritatem non bene posset infantis naturalia loca discernere. Candelam jubere potes, ego dicebam; at ille respondit: melius erit cras observationem, socio meo præsentem, rursus instituere. Periculum nullum adest: undecima ante meridiem hora et ego, et socius meus te hic expectabimus. Ego autem hæc animo perpendebam: si quæstio esset de pulchritudine faciei, vel de genarum colore determinando, concedere vellem candelæ lumen decipere posse; at quæstio est de sexu determinando, et de meconio facilius eliminando. Et licet periculum urgens non existeret, tamen de nullius periculi parum certum mihi erat existentia. Bis enim in praxi sedulus admodum Corona, (heu! nuperrimo letho Lutetiæ Parisiorum amicis ereptus, nunquam tamen Medicinæ Romanæ fastis eripiendus, cujus, uti Baglivius, et Lancisius jam in patria, sic et ille apud exteras gentes decus fuerat, atque ornamentum) bis meconialem colicam ab ano ocluso non statim aperto natam observaverat. Hæc omnia tandem chirurgus modeste dixi, et insuper addidi:

Episcopus Catholicus Romanus, qui cras e puerperæ domo, ubi hospes adest, erit Americam discessurus, infantem hac nocte baptizare cupit: idem desiderant parentes eventûs novitate terrefacti; quemnam baptizabit Episcopus? masculum an feminam? Chirurgus respondit: Periculum ullum nec est, nec erit; applicetur partibus jam nimis per humorem et contrectationem irritatis emolliens cataplasma, et cras videbis feminam. Tantæ sententiarum facilitati obstupui, et amici munere resumpto, Episcopo baptizanti assistens fui, et Benedictam Fortunatam, qui postea alio baptismo fuit Alexander vocatus, infantem audiavi denominatum. Sequenti mane citius, quam determinatum fuerat, puerperæ domum peto. At contra urbanitatis, quas saltem intangibiles putaveram, leges, chirurgos invenio jam operantes. Specillum enim rectum introduxerant per foraminulum, et protuberantia in ima perinæi parte per impulsum ab interno ad externum efformata, vere nimis longe ab inferiori ex supradictis foveolis, nescio qua operationis progressionem determinata, aut determinanda, communia integumenta ferro jam incidebant. Meconii tunc copiosissimus fuit exitus, et post repetitam specilli et digiti introductionem, fluido cessante, linamenta in vulnus interne dederunt. Inde idem specillum per mentulæ foramen amplius introduxerunt (clitoris jam mentula facta erat) vesicam reperire sperantes. At paulo post in insuperabilem resistantiam inciderunt, et, infante ejulatus edente, post novos aliquot nixus incepto destiterunt, dicentes: Hac mane multum fecimus; cras eadem hora finiemus opus. Vesica fortasse non existit, fortasse caustici ope erit invenienda; via ad illam non extat permeabilis. Tandem senior chirurgus risu contra morem lepido infantis testiculum contrectans me suspexit, et ait: Testiculus jam

venit. Ego autem pari lepiditate respondi: Testiculos quidem video, at feminam non video.

Et urbanitatem, italico more modoque, ruditati reddere cupiens, tantæ sapientiæ, ac modestiæ saponem, aquam et linteum dare volui. At, operatoribus discessis, amicis dixi: Ad novam consultationem non est cur accedam; saponem enim, aquam et linteum et vos dare potestis. Dicite dumtaxat, precor, operatoribus, si per accidens specillo recto vesicam rursus aggrediantur, melius esse syringulam adhibere; at si syringulam non habent, specillum saltem inflectant, et fortasse sine caustici ope vesicam ingrediantur. Nescio quid postea dixerint amici; at, priusquam decurreret dies, specillum rectum leviter inflexum vesicam ingredi potuit, et copiosissimus, uti vesperascente cœlo audiui, urinæ fuit exitus. Hæc lætus accepi; at, cum et mihi nunquam datum fuisset urinam in fœtus dissectâ vesicâ reperire, studioso naturæ observatori displicuit admodum occasionem perdidisse ad fœtus urinæ physicos, chemicosque characteres sedulo examinandos. Etenim tanquam certum mihi assumi posse videtur, urinam, quam copiosissimam ejecit puer, et in fœtu extitisse; pauculas enim lactis cum farinaceis commixti guttulas puero tantis pœnis affecto vix ingerere potuerant. Interea globuli subcutanei aliquantulum duri, et racemorum instar insimul connexi, in regione lumbari, et in brachiis circa deltoidis insertionem apparuerunt. Cutis rubor, plusquam prominentia manifestabat illos. Ego autem ab infelici consultationis die nullimode in medicam provinciam, a qua fueram tam rigide seclusus, me intrudere rursus volui. Uti amicus dumtaxat de matris, et pueri salute quærebam. At post binas circiter hebdomadas matrem, et adstantes rursus anxias invenio; licet enim

validos puer nixus efficeret, fæces ejicere non amplius poterat. Tunc, humanitatis voce impulsus, non potui in alienam provinciam non irrumperere, et, anum artificialem examinans, illum cicatrice jam obductum video, vicinia materie duriuscula oppleta sentio, et fluidas fæces ex primitivo foraminulo lentissime propulsas observo. Hinc libere, et audacter declaravi seniore chirurgum, qui, socio jam per plures dies non amplius apparente, et matris, et pueri quotidianam curam habebat, non solum urbani hominis, sed ne chirurgi quidem nomine dignum esse. Et reapse non erat; erat enim, ut mihi postea compertum fuit, ex chirurgorum-pharmacopolarum familia, qui, ante novissima præsertim Legislatorum acta, aliquoties leviter admodum tres, ut ajunt, ramos attingentes et leviter illos exercere solebant. Consilium inde dedi de aliquo ex tot præclaris chirurgis consultando, quibus Urbs Londinensis præ cæteris abundat, et quorum nomina per artis annales, et per clarissimi Assalini nuper Angliam visitantis relata cognoscebam. At amici amicum, licet perniciosum, offendere noluerunt; eique rursus paulo post quotidianam visitationem vocato infaustum eventum, me præsentem, exposuerunt. Erubuit ille prima vice, et candelam resinosam, quam fortuitu habebat, caustico munitam sumens, vulnus plus impellendo, quam cauterizando aperuit. Puer fuit exinde restauratus; partim enim naturæ vi, partim pressionis ope, fæces habuere viam. Deinde operator ipsemet modestia, ea qua par est laude certe commendanda, celeberrimum E. Home in ejus auxilium petiit. Interea anus artificialis candelæ oleo illitæ ope apertus tenebatur. E. Home dubitans fortasse de monstruosa intestini recti productione (nam hypothesi mire favebat summa inferioris canalis irritabilitas, unde

fæces liquidæ erant vel retro fortiter repulsæ, vel ex foraminulo anteriori tanta vi dejectæ, ut urinæ quasi parabolam describerent) noluit in re dubia periculum incurrere gravissimum intestini membranas nimis fortasse lacerandi, et per consequens lentam causiticum pro re nata adhibendum, et candelæ dilatantis usum sapienter proposuit. Insuper levium purgantium frequentiore usum, et clysteres quotidianos commendavit. Et, cum per duplicem anum, nutricis præsertim ope, fæces sufficientem exitum haberent, a lapsu temporis, a partium evolutione, novisque symptomatibus consilium prudenter expectavit.

Ego autem, cui mos est non faciliter judiciis medicis acquiescere, utpote quæ, lævi sæpius apparente novitate, in contraria labuntur, binas foveolas pollice, et indice violenter comprimere volui, et reapse pluries accidit, ut reactionem internam digitorum apices obscure sentirent, quæ nonnisi ab ani sphinctere oriri posse videbatur. Tam regulares insuper duriusculi stercoris cylindros observabam, ut clarior ex illis sphincteris pateret actio. Hoc dixi chirurgo-pharmacopolæ; at, cum reactionis sensus in digitorum apice non esset constans, et ab adjacentium etiam musculorum contractione in mobili puero posset ortum ducere, et cum cylindricam formam et in intestino recto inclinæ fæces sæpius assumant, non satis solidas rationes meas invenit ille, ut nova instituenda foret cum E. Home de curationis methodo forsitan diversimode dirigenda consultatio. Quare et egomet ipsas, præcipitanter fortasse, rejeci. Interim per multos menses suburbanus incola fui, quo tempore, chirurgo-pharmacopola e viventium numero infeliciter erepto, egregius medicus Tuthill et ma-

tris, et pueri curam suscepit. Et paulo post evenit, ut parvus quidem, sed admodum durus globulus, medio inter anos canali tam firmiter adhæserit, ut impossibile foret illum ulterius, vel retrorsum propellere. Mater dicebat semen esse citri aurantii; nam, ex quo fructum gustaverat puer, globulus apparuerat. Ex hoc autem non levi dolore misellus affici videbatur. At non semper pro malo mala. Hinc enim factum est, ut, canale quasi per globulum obstructo, non facilem per illum fæces habere possent transitum, unde vel directe, vel retropulsæ, per artificiale foramen egredi necessario debebant. Amplior exinde facta posterior canalis pars, amplior artificialis anus. Hæc infra, post meam inter Regii Medicorum Londinensis Collegii Permissos receptionem, (cujus honoris liceat mihi nunc gratias quam maximas agere et illustri Præsidi Latham, et urbano, si quis unquam, Censori Powell, qui jamdiu elementarium examen anfractibus alienum, et anglicos latine loquendi modos nec bene intelligentem, nec bene imitantem, per illos amicali fere manu duxerunt) urbem ad standum fui rursus ingressus; et, a parentibus ad puerum accuratius examinandum revocatus, post aliquot observationes, lætissimus vidi E. Home prognosim mirifice confirmatam. Talis enim in biennium acciderat partium evolutio, ut jam, quæ prius latebat, et altera fistulosi canalis extremitas oculis clare pateret. Tunc digitum minimum oleo illinitum per artificiale foramen violenter intrudo, quasi certum habens et per veteres, et per novissimas observationes anum naturalem superius extare debere. Et revera post validam ab externis angustiis resistantiam majorem sensi parietum flexibilitatem, et apex digiti non obscure, ut

prius, a sphinctere, sed distinctius undique premebatur. Quamobrem ad matrem conversus dixi: Tibi gratulor, mihi gaudeo; fistulæ enim incisio naturalem dabit anum. Et egomet sic putabam, respondit illa, et quasi forficis ictu operationem efficere volebam. At consilium initum fuit egregium Tuthill, celeberrimum E. Home, et rarissimi hujus eventûs relatores, ad consultandum vocare de definitivo curationis modo, unde, una cum chirurgi-pharmacopolæ infausti operis destructione, et pueri dolori, et parentum anxietati finis tandem imponeretur. Consultatio locum habuit, et, medico Tuthill meam relationem prius audiente, et, post brevem cum E. Home discussionem, totius fistulæ per ferrum incisionem proponente, E. Home, specillo per novum fistulæ foramen lacerum ad primitivum foraminulum quasi oclusum introducto, et, ferro ab extremis ad medium sacculi decurrente, bina incisione fistulam, quasi ludens, aperuit. Sacculus autem canalem quasi regularem representabat, cujus interior membrana majori, quam cellularis, densitate prædita, leviter rubescebat. Papulæ autem, et vesiculæ albi coloris confertissimæ prominebant, ubi semen citri adhæserat incorruptum. Facillima semper exinde fæcum dejectio, vulnusque feliciter curatum. At sacculus adhuc extat, licet ruber fundi paries labiis leviter rubescentibus obviam progrediatur. Superficialis inde observator duplici sexu præditum crederet infantem ex sacculi labiis, quæ vulvæ fissuram imitantur. Interea mentula quidquid semper præbet irregulare. Eam enim e scroti centro pendulam quasi diceres, et quamvis præputium, quod in principio deerat omnino, glandem bipunctatam, ac retrorsum inclina-

tam, ita ut illuc urina tendat, quotidie crescens tandem occluserit, duplici tamen frænulo illigatum a dextra ad sinistram glandem bifariam quasi dividere videtur. Ex quibus omnibus concludi potest:

I. Maxima mala ex levissima sæpe negligentia oriri posse in therapeja, præsertim chirurgica. Nam si primus operator, qui sacculum incidit, et meconii exitum faciliorem etiam per digiti reddidit introductionem, vel digitum ulterius impulisset, vel majorem, uti mea est opinio, attentionem sphincteris reactioni præbisset, ut mihi post biennium accidit, naturalem anum ab initio reperiisset, et incisione integumentorum ulterius producta, vel nova ope fusi, uti solent Italæ obstetrices, superius efformata, fistulam prima die detectam illico curare potuisset.

II. Membranam cellularem non solum elasticitate, et contractilitate, sed majori, quam vulgo creditur, irritabilitate esse præditam, uti evidenter probatur ab ampla liquidarum fæcum parabolica curva ex foraminulo descripta, et a frequenti fæcum retropulsione; a fistulæ enim parietibus in illas reagentibus impulsus poterat dumtaxat impertiri.

III. Urinam, vel analogum fluidum a fœtûs sanguine separatum in vesica subinde extare, uti Buffonus, et Harveius asserunt, licet et mihi nunquam humorem quemlibet in fœtus dissectâ vesicâ datum fuerit observare. Tantam enim urinæ copiam post paucas horas a partu, paucisque fluidis guttulis puerulo dumtaxat ingestis, non credo ex novo functionum ordine derivatam.

IV. Naturam in fœtûs efformatione cyristallizationis quasi legibus progredi. Uti enim in crystallis a forma primitiva ad

quasdam formas secundarias facilius est transitus, sic et in sexûs masculini efformatione errans natura per appropinquationem feminei sexûs formas imitari conatur externas, sæpe etiam fistulis ad urethram, uti ex aliis accepi, vel ad anum, uti in nostro casu, tendentibus, et vaginam quasi repræsentantibus. Quod quidem inverse etiam dicere posses; binas enim feminas, mihi a medicis indicatas, observavi in australibus Italiæ regionibus, ubi luxuriari amat natura, quibus clitoris erat mentularis, et duplici fimbria ita ad basim munita, ut quasi scrotum ipsa repræsentaret. Interea labia pudenda, et nimphæ erant quasi oblitteratæ. Nil dicam de organica modificatione in feminis hujusce naturæ barbam quasi semper evolvente, et virilis vocis gravitatem impertiente, quæ tamen observationes et ipsæ corollarium mire confirmant.

V. Uti ex partium genitalium exuberantia, ita et ex earum evolutionis defectu, aliis sæpe structuræ additis erroribus, sexûs immutati, vel etiam hermaphroditismi falsas ideas nasci potuisse. Nam si non accurati observatores feminam, uti pluries accidit, videntes clitoridem mentularem in pubertate explicantem, et barbam, et virilem vocem, sexûs immutationem credere potuerunt; cur et masculum, ob genitalium partium evolutionis defectum, tanquam feminam nutrici datum, omnia virilia symptomata in posterum explicare videntes, uti novissimis hisce temporibus accidit in viciniis Romæ, Jos. de Matthæis, Rom. Archigymn. professore, relationem exhibente, sexûs immutationem non credidissent? Si Benedicta Fortunata quoad sexum dumtaxat irregularis neglecta fuisset, forsitan et ipsam serius ocius sexum immutasse dixissent. Et, si fistulæ aliquando ad-

fuissent ex urethra, vel ex ano ad scroti basim orificio plus minus amplo terminatis, cur et hermaphroditismum non credidissent, uti fortasse credidissent vel clitoridem mentularem, fimbriis insuper scrotiformibus munitam, in feminis, vel integumentorum exuberantiam vulvæ labia imitantium in masculis, uti in nostro casu post fistulæ incisionem, observantes? Quid inde mirum quod ex ævo Tiresiæ fabuloso ad hæc usque novissima tempora vox sæpe ob non accuratas observationes fuerit vel de sexûs immutatione, vel de hermaphroditismo? Attamen, omnibus rite perpensis, non est cur non probabilem asseram hermaphroditismum. Nam et a clarissimo Asdrubalio, Artis Obst. in Rom. Archigymn. professore, sæpius audiivi hermaphroditismi casum ipsi bene notum, cum juvenis adhuc Europam ob artis amorem peragraret. Et plures etiam hermaphroditismi casus, præsertim inter Copticos in Ægypto Superiori, observavit L. Sebastianus presbyter Romanus, et medicus, quem celebrem nuperrime in Anglia reddebant varia ejus per Orbem itinera, et discrimina, et eventus.(3) Hic autem naturalia masculina perfecta semper invenit, et ad generandum apta, feminina vero prioribus lateraliter adjacentia, sed nec luxuriantia, nec luxuriosa. Præterea de internarum partium structura nullum aliud, nisi explorationis indicium, habebant ambo, quod certe nihil facit ad omnia dubia de fundi matricis, ejusque appendicium regulari efformatione eliminanda.

Quamvis, quoad hoc attinet, præparatum Florentiæ vidi (4) apud celeberrimum Mascagnium, quod, licet e bruti animalis corpore detractum, tam perfectam tamen amborum sexuum structuram offerebat, ut perfectum androgynum videre dixisses, dum-

modo testiculos, ubi ovaria erant, transtulisses, et viceversa. At de possibilitate duplicis generationis officii, uti in perfectis androgynorum classibus, recurret semper quæstio.

Quidquid autem sit de hisce corollariis, et animadversionibus, memoria semper digna mihi videtur infantis historia, (quam qui non viderunt fabulosam fortasse dicent) qui ex femina, ano apparente destituta, masculus evadit imperfectus, duobus non naturalibus anis præditus, et inde, perfectius evolutus, binos non naturales anos perdit, et unicum acquirit naturalem anum, prima fronte hermaphrodites, et qui, licet jam vatius ex fibrarum laxitate, ad generalem corporis sanitatem nunc rapide tendat, tamen masculus perfectissimus nunquam fortasse futurus erit, uti mentulæ scroto fere oclusæ debilitas, glandis retrorsum inclinatæ, et ob præputium duplici frænulo munitum difficilis evolutio, lentissimum fundi fistularis incrementum, totiusque corporis femineus, plusquam masculinus, habitus, indicant.

NOTÆ.

(1) Ab Eois insulis reduci Britanniam petere erat in desideriis. At qui nondum in patria sedati tumultûs tranquillitatis amicum ad remotiores Orbis partes propellebant, iidem et in Galliis renascentes, me ab Hollandia ad nova bella vocata huc citius impulerunt. Et cum nec a Batavis, qui promissum, nec ab Anglis, qui spem dederant, data via fuerit ad doctum aliquod per longinquas regiones iter suscipiendum, mens fuit Medicinam in Anglia exercere, usquedum per feliciora tempora ab hospitali liberi litoris domicilio dulcissimæ patriæ redonatus, eandem ibi Anglis, quam ipsi nunc generose dant, scientiis, et literis reddere possim hospitalitatem. Interea, si datum foret sub Anglorum physicorum, quorum plures summa me urbanitate Lutetiæ-Parisiorum exceperunt, auspiciis, quæ jam in Italia inceperam, in Germania, et in Galliis melius excolueram, hic tandem perficere de cursu calorigis radiantis experimenta, unde calorigis fortasse gravitas, et major certe ad inferiora radiandi facilitas deduci poterat, carius amicitiae signum terra scientiis amica amico scientiarum dare non posset. Experimentorum prima rudimenta, typis Monachii lithographicis mandata, anno 1810, in Biblioth. Britann. inserta fuerunt, et, inde clarius exposita Lutetiæ-Parisiorum Phylomaticæ societati, et per ejus acta, et per Lametr. annales, rursus apparuere. Alia autem nova, licet nondum perfecta, ingeniosa Prevost, et Volta vocârunt, et ipsimet H. Davy unus inter apparatus non displicuit. At homo novus in nova regione, et medica praxi absorptus, nunquam fortasse solus illa perficiam.

(2) Germanicus in Hippocrate frater, qui me sublimiores illi Mathematicæ partes exponentem teutonicas linguas amice docebat, lepide mihi quondam Romæ dixit: Amice, licet organum ambulatorium in tuo cranio nec Gall ipse reperire posset, tamen ex studiorum varietate, et constanti solum novitatis amore, video te in hac urbe non remansurum, sed, uti me ipsum, perpetuum fortasse per terras fore viatorem. Age ergo, et priusquam stationarii simus in Cœlis, Geographiam morborum, uti amicus Humboldt plantarum dedit, accurate describamus. Placuit prima fronte problema, et fa-

teor me, prima vice, Italiam Septentrionalem, Germaniam, et Gallias, curru peragran-tem, plura ad conficiendum opus studiose collexisse. At, secunda vice, per singulas Ita-liæ regiones, Helvetiam, et Gallias, pedibus iter ingrediens, resque omnes non auribus, sed oculis accuratius accipiens, vidi vanum quasi esse problema. Morbi enim non possunt cum plantis comparari, quidquid dicant morbosarum superficierum superficiales admo-dum nosologi. Et revera, plantæ ab externis formis, plusquam ab interna structura, internisque functionibus, et morbi, e contra, plus a diathesi, quæ et ipsa per etiologiam est, per juvantia et lædencia, dignoscenda, quam a symptomatibus sunt determinandi. At, si morborum externæ formæ ad diathesim agnoscendam quidquid utilitatis ali-quando præbeant, et si ipsæ a constantibus per Orbis ambitum conditionibus pendeant, semper aliqua æstimatione dignum putarem opus. Latitudinis vero diversitatem, et baro-metricas differentias, et nivis perpetuæ curvam tangentem, minoris vidi esse potentiæ ad quædam symptomata in morbis excitanda, quam terrarum strata et culturam, aqua-rum cursus, aeris temperiem, ventorum efflatus, cibi potûsque naturam, publicæ ac privatæ vitæ rationem, medicæ politiæ solertiam vel negligentiam, et alia hujusce ge-neris, ita ut ubique fere gentium sub analogis circumstantiis easdem formas alteratæ diathesis gradationi dare posses. Has inquisitiones ulterius propuli in novissimo per Belgas, Batavos, et Anglos, itinere, et mens erat ulterius etiam per remotiores Orbis par-tes propellere. Quorundam autem vermium, et insectorum, sub quadam dumtaxat la-titudine in hominibus evolutio, et quarundam contagionum per quasdam terræ pla-gas nunquam evoluta calamitas, ne et alia pauca minoris momenti afferam argumenta, conclusionis limites reducere fortasse posset. At, si cum J. Rasorio, acutissimo sanioris doctrinæ veteris illustratore, acerrimo futilis oppugnatore, contagiones credas, uti ver-mes et insecta, et ipsas ab ovis oriri, pars illa morborum ad animalium potius Geogra-phiam referenda foret. Quidquid autem sit de constanti, vel inconstanti symptomatum Geographia, utilius putarem opus, si et populorum, et medicorum insimul errorum notam exponeret. Experientia enim edoctus, vidi, quantum ubique præjudicata possit opinio ad veteres, licet aliquando perniciosos, usus conservandos, et ad nova, licet meliora, reji-cienda. Tunc fortasse spes esset non amplius inter Italos sanguinem hominis emissum videre, sæpe nulla, sæpe levi admodum extante causa, ad duodecim, quindecim, et vi-ginti etiam libras, nec inter Gallos sanguiferum hominum systema in aqueum immuta-tum, diluentium, refrigerantium, purgantium effluvie, diæta rigida, cauteriis, vesican-

tibus, clysteribus ad conficiendum opus accedentibus, et corticem peruvianum, uti opium, per grana propinatum, nec exhaustas quasi antimonii, et hydrargiri fodinas ad Germanorum, et. . . vasa metallicis præparatis continuo replenda.

(3) Fide dignas admodum, et minime negligendas puto sinceri hujus, indefessi, atque eruditissimi viatoris observationes, cujus sapientiæ, et itinerum siquis interea specimen aliquod amasset, præfationes illius operum legat, quæ apud bibliopolam Bohn, Frith Street, Soho Square, adhuc extant, et quorum unum, Romæ jam editum, Lycophron. Chalcidens. Cassandram mirifice illustrat, aliud vero, Londinensibus typis nuperrime mandatum, Novi Testamenti D. N. J. C. frequentes omnium aliarum interpretationum hallucinationes purgatas, et in verum sensum restitutas, exhibet. Ego autem, licet, philosophus, amicam curam novissimæ dederim Editioni, nollem tamen, quasi pro aris et focis, pro nova interpretatione pugnare. Simplex enim in religione, ovis et non pastor, judicia semper ecclesiæ matris accipiam. Quidquid autem de hoc sit, multum lucis ab opere in historiam, chronologiam, theologicas ac philologicas disceptationes, manare videtur.

(4) Præparatum, ni fallor, erat ex vitulino corpore depromptum. At non est eventus in genere, quem credam attentione dignum. Nam quæ ab aliis anatomicis, Huntero præsertim, relationes exhibentur, clare demonstrant, quam faciles hi naturæ lusus in vitulis. At e nullo alio casu tam proxime naturam ad perfectum quasi androgynismum in vitulis appropinquasse compertum est. Et quamvis non liceat exacte a vitulis ad homines argumentari, tamen.


LONDINI: TYPIS SCHULZE ET DEAN,

XIII POLAND STREET.




I. Obs?



II. Obs?



III. Obs?



IV. Obs? a. prima incisio. b. c. integumenta caustico aperta. d. sacculi fistulosi apertura in principio sub foveola. e. ano quasi herens.

Nunc ob testiculorum praeparati et mentule evolutionem puncta. a et b. II. Obs^{ta} sunt conjuncta et exinde usque ad punctum. c. III. Obs^{ta} adest fissura.

1. The first part of the paper is devoted to a general discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the problem is one of the most important and interesting in the history of science.

2. The second part of the paper is devoted to a detailed discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the problem is one of the most important and interesting in the history of science.

3. The third part of the paper is devoted to a detailed discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the problem is one of the most important and interesting in the history of science.

4. The fourth part of the paper is devoted to a detailed discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the problem is one of the most important and interesting in the history of science.

5. The fifth part of the paper is devoted to a detailed discussion of the problem of the origin of life. It is shown that the problem is one of the most important and interesting in the history of science.